



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

clxxi [i.e. xvi]. Vacuum est locus carens corpore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

hac , & sine ista , five sine omni determinatè accepta ubicatione , non sunt de essentia rei.

XVI. VACUUM est *locus carens corpore* id est, locus realis, actualis, extrinsecus, seu superficies actualis corporis continentis, saltem aptitudine : adeoq; non est ipsum inane intra locum extrinsecum quasi contentum, sed præter hoc in obliquo importatum , est ipsa superficies corporis ambientis illud inane. Quale quid non est spatium imaginarium , utpote quod actu est purum nihil , & datur suo modo, etsi nulla reali circumseribatur superficie. Vacuum Deus facere potest, si V.G. relictâ solâ concavâ cæli superficie annihilaret omnia intra illam contenta ; in quo vacuo naturaliter fieri posset motus, tam alterationis ( modò passum sit agenti contiguum ) quàm localis V. G. brachium extentum huc illucquè gyrari. Naturaliter tamen, saltem ab agentibus sublunaribus, effici nequit ; hic enim contiguitatis amor ab auctore naturæ ad servandum imperturbatum universi ordinem videtur inditus corporibus naturalibus , quæ mundum veluti corpus quoddam componunt, ut tantopere  
hor-

horreant vacuum, quod esset veluti huic corpori inflatum vulnus, ut ad hoc evitandum etiam contra nativam gravitatem ascendant aut contra levitatem deiscendant. Unde etiam hi motus, qui rei spectatæ, quatenus est hæc privata res, sunt violenti, dici possent non esse eidem spectatæ, ut est pars universi, inditumquæ sibi habet hunc contiguitatis amorem, violenti; causati item à vi quadam attractiva & quasi magnetica aliorum corporum, quâ unumquodquæ corpus ad servandam universi unitatem attrahit aliud. Verùm naturalis vacui impossibilitas potiùs experientiâ, quàm ratione solida probatur. Nihilominùs videtur saltem Angelus per se posse efficere vacuum; quidni enim ille posset omnem aërem ex fistula extrahere, & ex altera parte simul impedire, ne novus ingrediatur? quamvis ex suppositione decreti divini de non concurrente ad similes universi turbationes, id non posset.

\* \* \*

I 4

DIS-